

Pagen = de

- 10 -



20 17

DISPVTATIO MEDICA
DE
INFANTIS
POST MATRIS OBITVM
PARTV,

QVAM
PRAESIDE
IOANNE ADAMO
KVLMO

MEDICINAE D. PHYSICO ORD. MEDIC. ET PHIL. NAT. IN
ILLVSTRI GYMNASIO GEDAN. ACADEMICO PRO-
FESSORE PVBL. ACADEMIAE IMP. NATVRAE
CVRIOS. ET SOCIET. REG. SCIENTIAR.
BEROLINENS. SODALE.

IN AVDITORIO MAXIMO

ANNO MDCCXXII DIE XXX AVGVSTI

AB
OBIECTIONIBVS AMICORVM DEFENDERE
CONABITVR

OTTO IOACHIMVS WILLER LEOB. BORVSS.
AMPLISSIMI DICASTERII ET OELHAVIANVS ALVMNVS.

GEDANI,
TYPIS THOMAE IOANNIS SCHREIBERI,
MAGNIF. SENATVS ET ATHENAEI
TYPOGRAPHI.



INCLYTAE
CIVITATIS GEDANENSIS
ALTERIVS PATRIAE SVAE
MAGNIFICO
SENATVI
ILLVSTRI
DOMINO
BYRGGRABIO REGIO
PERMAGNIFICIS MAGNIFICIS GENEROSIS
MAXIMEQVE STRENVIS
DOMINIS
PRAESIDI
PRAE - CONSVLIBVS
CONSVLIBVS
DE
VNIVERSA REPUBLICA
GLORIAM IMMORTALEM
MERITIS.

PRAENOBILISSIMIS CONSULTISSIMIS
AMPLISSIMI
DICASTERII MEMBRIS
DOMINIS
SENIORI
CON-SENIORI
ET
ASSESSORIBVS
RELIQVIS
IVSTITIAE
MODERATORIBVS GRAVISSIMIS
DIGNITATVM SPLENDORE MERITORVMQVE
MAGNITVDINE CONSPICVIS.
X SVMME



SVMME REVERENDIS EXCELLENTISSIMIS
PLVRIMVM REVERENDIS
REVERENDIS

SANCTIORIS ORDINIS MEMBRIS

DOMINIS

SENIORI

CON-SENIORI

ET RELIQUIS

SACRAE REI

ADMINISTRATORIBVS DEVENERANDIS.

PRAECIPVE

MAXIME REVERENDO

DOMINO

GOTTLIEB RICHTER,

AD AEDEM D. CATHAR. PASTORI LONGE DIGNISSIMO
MIHIQVE A CONFESSIONIBVS DEVENERANDO

ET

REVERENDO

DOMINO

THOMAE WILLER,

MINISTRO TEMPLI D. SPIRITVS FIDELISSIMO PATRI SVO
ET SVMMO HONORE ET PIETATE MAXIMA,

VT FILII EST, COLENDO.

NOBILISSIMIS ET SPECTATISSIMIS
DOMINIS
ANTISTITIBVS
AD SACELLVM D. MARIAE
SPLENDORE ET DIGNITATE INSIGNIBVS.

ITEMQVE
NOBILISSIMIS ET CLARISSIMIS
DOMINO
CAROLO ERNESTO
NIMSGART
DOMINO
CHRISTIANO HARTM.
A SCHROEDER

ET
DOMINO
IOACHIMO GOTTLIEB
SCHVMANN

PATRITIIS HVIVS VRBIS LONGE FLORENTISSIMIS.

SPECTATISSIMIS MERCATORIBVS
GEDANENSIBVS
DOMINO
CHRISTIANO BAVSE
ET
DOMINO
GEORGIO GOTTLIEB
LINCK

ALTERI AGNATO HONORATISSIMO ALTERI FRATRI DILECTISSIMO
PER BENEFICIA DOMESTICA SIBI SVSPICIENDIS

DOMINIS PATRONIS
ATQVE
FORTVNAE STATORIBVS
GRATIOSISSIMIS
OMNI, QVO DECET PIETATIS ET OBSEQVII CVLTV,
COLENDIS, DEVENERANDIS

DISSERTATIONEM HANC MEDI-
CAM GRATA ET SVBMISSA
MENTE CVM VOTO PEREN-
NIS FELICITATIS OFFERT,
DICAT, CONSECRAT

DEFENSOR.



C A P V T I.
S I S T E N S
O B S E R V A T I O N I S
H I S T O R I A M.



§. I.

ilitis cuiusdam gregarii, nostrae ciuitatis,
Io. Henrici Mülleri, vxor, foemina 28
annorum, floridi ac spongiosi habitus
corporis, hoc anno tertia vice erat gra-
uida. Haec instantem partum die 23
Maii tempore meridiano ex conatibus si-
bi iam cognitis sentiens confestim obstre-
tricem accersere iussit: quae quum foe-
tum situ minus congruo insistentem ex-
ploraret, adeoque partum hunc admodum difficilem sibi
conciperet, mox inuersionem foetus in vtero suscipere
tentauit: verum ad hoc negotium plane imperita, vt
euentus docuit.

A

§. II.

§. II.

Ea namque puerperam transuersim in lectum ita re-
posuit decliuem, vt prono capite, scilicet facie deorsum
spectante, multo profundius quam reliquo corpore de-
cumberet, sicque capiti inniteretur: pedes autem illius
imposuit humeris aliarum mulierum adstantium, eosque
tali modo diuaticatos firmiter tenere iussit immotos, quo
foetus proprio pondere recedens facilius inuerteretur.

§. III.

Sub hoc tamen miro & inusitato parturientis situ pla-
ne nihil efficere valuit obstetrix, licet per aliquot horas
cum ingentibus puerperae doloribus laborem continuasset,
donec maritus adueniens ab vxoris gemitu, clamore &
querelis commotus obstetrici omnem vltiorem opem
ferendam interdiceret: quare circa vesperem parturientis
ordinario modo in lectum reponebatur, a quo demum
tempore omnes dolores partus penitus cessarunt, relictis
tamen aliis doloribus grauissimis in abdominis partibus
internis, quos ab incauta obstetricis manu cum laesione
interna productos constanter asseruit parturiens.

§. IV.

Sequentem noctem misera ista mulier plane inquit-
tam transegit, quae altero deinde die, 24 Maii, circa
meridiem frigidum horrorem per vniuersum corpus dif-
fusum sentiebat, subsequente demum calore intensissimo,
pulsu celerrimo, tandemque sudore colliquatiuo, ipsaque
morte, quae hora 7 vespertina ingruit.

§. V.

§. V.

Post obitum iam corpus more solito lautum tandem sequente die, 25 Maii, mane adportato sarcophago immittebatur. Multae tum temporis aderant foeminae agnatae & vicinae, deinde quoque diuersis vicibus, ante & post meridiem accefferunt aliae, quae omnes mulieris mortuae corpus insigniter distensum, partesque genitales admodum deformes & contritas vel nouitatis caussa (vt mos est), vel misericordia commotae sollicitate explorarunt, nullo tamen adhuc apparente foetu.

§. VI.

Tandem postea hora 8 vespertina mater defunctae adueniens filiam, eiusque ventrem, quem insigniter laesum percepit, adhuc adspicere cupiebat, quae cum adstante marito mox aperto loculo infantem iam natum intra pedes matris cum annexis secundinis attonita conspexit. Confestim aliae mulierculae plures, quibus haeres plane insolita denunciabatur, accelerarunt & veritatem istius partus mirabilis propriis oculis explorarunt.

§. VII.

Foetus autem reperiebatur prono capite antrorsum vsque ad suras matris extenso procumbens, pedibus intra matris femora relictis, cum adhaerentibus secundinis pariter exclusis. Quam primum postea infans fuit protractus, conspexerunt omnes caput eius penitus diffractum, & corpusculum variis in locis euidenter laesum, vnde obstetricis violentas contrectationes facile augurari poterunt: quare maritus defunctae hoc factum in foro competenti explorandum denunciauit.

A 2

§. VIII.

§. VIII.

Facta deinde legali inspectione, in praesentia quorundam Medicorum & Chirurgorum, vniuersum corpus matris obseruabatur quaquauersum insigniter tumidum, ita, vt quoque abdomen adeo distensum cerneretur, ac si nullus adhuc contigisset partus: per genitalia vero externa valde contrita ac inflammata effluebat putridus humor sat copiosus: praeterea totum corpus iam iphacelo erat correptum, splendidoque colore plumbeo, & vesiculis ichore turgidissimis adeo defoedatum, vt odor graueolentus eius sectionem plane impossibilem redderet.

§. IX.

Foetus tandem sexus sequioris, vere posthumus, considerabatur quoad corporis atque membrorum magnitudinem satis perfectus. Ossa cranii & maxillarum penitus erant in parua frustula comminuta, & à cure sua plane separata: adeoque frustula caluariae intra cutem flaccidam contenta perinde ac pecunia in marsupio quaquauersum commoueri potuerunt, eoque facilius, quam substantia cerebri iam putrida per nares & palatum diffractum leni commotione difflueret. Praeterea in humero dextro, itemque in thorace & abdomine variis in locis versus idem latus dextrum cutis valde erat dilacerata, vt etiam musculi conspicerentur nudi. Quae circumstantiae nimis rudem obstetricis tractationem luculenter ostendunt.

§. X.

Non desunt aliae quoque obseruationes foetuum post mortem matris demum ex ergastulo suo liberatorum, qualem etiam ante aliquod tempus noua publica Berolinensia annun-

annunciarunt: desiderantur tamen in omnibus, quas videre nobis contigit, necessariae circumstantiae concurrentes, ex quibus vera partus eiusmodi mirandi causa erui ac innotescere posset. Praeterea nosmet ipsi in praxi clinica duabus vicibus observimus foetus mortuos sub agone parturientium, ab obstetricibus imperitis nimis defatigatarum, exclusos: quorum partum dolores antea insistentes facilitarunt, valida vero & profunda morientium inspiratio repetita eum tandem absoluit.

§. XI.

Duo adhuc notari merentur exempla, memoratu dignissima, a quibusdam Fautoribus honoratissimis nobiscum nuper communicata, quorum alterum refertur in *Cramerii Pommerischen Kirchen-Historie* inter res anno 1567 gestas, pag. 180 sequentis tenoris: „In diesem Jahre ist etwas denkwürdiges in den Lande zu Cleven zwischen Darenter und Surphan geschehen. Es haben die Spanier den 15 Junii einen Mann und seine Frau, welche groß schwanger gewesen ist, wegen des Bekantnis des Evangelii aufgehengt. Nachdem aber das Weib schon 4 Stunden todt gehangen, sind 2 lebendige Söhne von ihr auf die Welt geböhren worden.

§. XII.

Alterum casum commemorat *M. Io. Matthias Groß*, in andern Theile des historischen *Lexici Evangelischer Jubel-Priester und Theologorum*, pag. 79. sequentibus verbis: „von dieses Joh. Harttrauffs (eines Pastoris zu Greiffenberg in Schlesien) Tochter führet Herr Ebert in *Leorino erudito* p. 18. aus *Heinr. Grossens Sideribus Silesiae & Lusatiae manuscriptoris*, einen denkwürdigen casum an, daß sie, Namens Anna, „mit

„mit Herrn Tobias Herfarten, einem Handelsmanne zu Greiffenberg
 „verheyrahtet gewesen, und im 4ten Jahre ihres Ehestandes sich mit
 „Leibesfrucht geseegnet befunden; da sie nun bey herannahender Ge-
 „burths-Zeit, mit den Wehen angegriffen worden, kamen dieselbe so
 „geschwinde und heftig, daß sie darob in ein Fraisch (epilepsiam) gera-
 „then, welches biß 9 Uhr selbigen Abends continuirte, darüber sie ihren
 „Geist mit verschlossen gebliebener Geburth und Leibesfrucht aufgegeben.
 „Worauf der verbliebene Leichnam in einen Sarg gebracht und in ei-
 „nem Gewölbe biß zur Begräbnis bewahret wurde, welches am 4ten
 „Tag, nemlich Sonntag Reminiscere, angestellet gewesen; als man
 „aber früh umb 8 Uhr, da man zur Amts-Predigt gelautet, den Sarg
 „eröffnet, hat man zwey wohlgestalte todte Leibesfrüchte, ein Söhn-
 „lein und ein Töchterlein gefunden, die von dem eingefargten todten
 „Leichnam, und zwar bis nach Verfertigung des Sargs wenigstens
 „erst nach 24 Stunden, oder noch länger nach dem Tode der Mutter
 „waren zur Welt gebohren worden, welche die Hebamme von ihr ge-
 „nommen, gesaubert und der Mutter jedes in einen Arm gelegt. Der-
 „gleichen 2 solche partus post mortem sind auch vor wenig Jahren
 „in dieser Gegend zu **Neuhoff** und **Neuherberge** geschehen, dar-
 „über sufficientes rationes zu vernehmen wohl zu wünschens wäre,
 „wie ein solch schon so lange todter Leib noch zu gebähren, und todte
 „Geburthen von sich zu treiben, Kraft haben könne? „

§. XIII.

Quoniam in utroque casu adducto pariter defunt cir-
 cumstantiae antecedentes, & ex allatis saltem causae pro-
 babilis & coniecturales erui possunt: igitur nos sola dun-
 taxat obseruatione nostra fufius iam enarrata contenti ex
 ipsis circumstantiis mox enucleandis veram demum causam
 perspicuam reddere conabimur.

CAPVT

C A P V T I I.

E X P O N E N S

CIRCVMSTANTIAS IN HAC OBSER-
VATIONE OCCVRRENTES.

§. XIV.

Infignem sane praestant vtilitatem verae obseruationes omnibus Scientiis, potissimum autem Medicinae. Quam enim Medicina duobus nitatur fundamentis, videlicet *ratione & experientia*, haec autem ex variis & repetitis obseruationibus, cum omnibus circumstantiis concurrentibus notatis acquiratur, quilibet facile huius asserti veritatem perpendit. Multum tamen omnino interest, vt in obseruationibus comparandis singulae circumstantiae & causae concurrentes probe notentur: quodsi enim vel quaedam harum vel negliguntur, vel falsae veris substituuntur, talis certe experientia nullius erit valoris, & ad nouas veritates eruendas inutilis, imo plane noxia, quia falsa hypothesis nullas veritates, sed lubricas saltem coniecturas, meras opiniones & figmenta producere valet.

§. XV.

Vt itaque ex circumstantiis in hac obseruatione occurrentibus vera ratio mirandi partus pateat, ideo non acquisiuimus in ea relatione sola, quam maritus defunctae statim ab initio protulit, cum inspectionem vxoris atque filiolae a nobis ex peteret; sed postea in aedibus eius omnes circumstantias historiae, Cap. praeced. memoratas vberius percepimus ex relatione matris puerperae, ipsius

B

obste-

obstetricis, aliarumque mulierum, quae in hoc partu & post eum fuerunt praesentes. Et quoniam omnes testes in dictis circumstantiis vno ore obseruabantur consentientes, iam eas paulo vberius considerabimus.

§. XVI.

Ante omnia tamen necesse erit, vt consideremus, quid per Partum intelligamus? quia vox *Partus* variam habet significationem: saepe enim Partus ipsum *foetum* denotat, quo sensu infantes dicuntur partus perfecti vel imperfecti; sic quoque partus legitimo vel illegitimo post contractum matrimonium tempore exclusus distinguitur. Hoc loco vero audit partus *ipse actus puerperii*.

§. XVII.

Partus itaque est *actus naturalis*, quo mediante *uteri constrictione validissima foetus ibidem generatus expellitur*.

§. XVIII.

Distinguitur autem iste partus in naturalem & non-naturalem, siue difficilem. *Partus naturalis* dicitur, quando foetus capite prono, breui mora, facillique matris & obstetricis negotio ex latebris suis se proripit. *Partus* vero *difficilis* est, quando foetus longiori mora, atque ingenti matris aequae ac obstetricis labore & molestia, vel plane singulari obstetricis dexteritate, ob quamcunque causam remoram iniiciente, ad egressum compellitur.

§. XIX.

§. XIX.

Variae & quam plurimae possunt esse causae, quae partum saepe reddunt difficilem & quidem vel ratione ipsius puerperae, vel ratione infantis nascendi, vel etiam ratione obstetricis, si minus perita arte sua non debito modo fungitur. Ipsa *puerpera* causa est difficilis partus, si a natura gaudet mala corporis conformatione, vel si est primipara & iam annosa, aut si tum temporis alio quodam morbo laborat, vel quando uterus non debito modo est comparatus, aut extra sedem suam commotus, &c. Sic quoque *foetus* egressum sibi difficilem reddit, si vel imperfectus adhuc, vel iam mortuus, vel mole iusto maior, aut corpus eius monstruosum est, &c. maximam vero difficultatem infert peruersus infantis in utero situs, qui obstetricis prudentiam ad inuertendum foetum omnino desiderat.

§. XX.

Partum nostrum fuisse inter difficiles numerandum facile concedimus, licet obstetrix veram difficultatis causam aut propriam uteri constitutionem, verumque situm huius foetus in utero nobis rite describere nesciuerit: alias enim puerpera haec, non primipara, naturali partu fuisset restituta. Attamen infantis situm peruersum exstitisse vix apparet, quoniam postmodum foetus capite antrorsum protenso, eoque prono in situ plane naturali exclusus reperiebatur (§. VII.) Frequenter autem obseruamus, quod capita foetuum ossibus pubis puerperarum innixa imperitis obstetricibus facile imponant & plane peruersum infantis situm mentiantur, quae tamen capita certa *επιπέσει* haud difficulter reponuntur in situm plane naturalem. Similis fortassis in casu nostro contigit allisio capitis, quae tandem

post moram diuturniorem a doloribus continuo insistentibus, foetumque vndiquaque prementibus iterum mutata situm infantis reddidit naturalem: quod tamen certo affirmari non licet.

§. XXI.

Infantes in utero peruerse positi inuersionem omnino requirunt (§. XIX): quam in nostro casu obstetrix pariter, sed praeter necessitatem (§. XX.) tentare studuit. Verum modus eius procedendi (§. II.) fuit contra omnem rationem susceptus, adeoque frustra tentatus. Et enim plane inuerso ordine negotium hoc suscipere voluit, dum puerperam pronam, i. e. in ventrem reclinauit, cum tamen eam supinam, scilicet dorso imponere debuisset parum decliuem, ut taceamus reliquas inconuenientias susceptas: multum autem abest, ut sub tali situ prono caput infantis vel ossi pubis vel iliis insistens remoueatur, ut potius validius adhuc his partibus infigatur, omnemque opem ferendam penitus eludat, atque grauissimos dolores inducat.

§. XXII.

Non autem solum obstetricis ignorantia in arte sua ex his satis elucescit, quia praeter necessitatem inuersionem foetus, & quidem praepostera methodo tentauit (§. XX. & XXI): sed nefanda eius audacia est quoque notanda, dum qualemcunque inuersionem annisa rigida & incauta manu cranium infantis arreptum penitus comminuit, adeoque foetum ipsum peremit, praeterea corpusculum tenellum variis in locis vulnerauit (§. IX.) ipsique matri grauissimos dolores procreauit (§. III. & XXI).

§. XXIII.

§. XXIII.

Frigidum parturientis horrorem per totum corpus diffusum (§. IV.) excitauerat potissimum foetus ab improvida obstetrice peremptus (§. praec.): talis enim horror grauidarum semper est signum diagnosticum foetus in vterio mortui: postquam enim obstetrix negotium suum adeo audacter subiit, & caput infantis tam potenter conquassauit, vt cranium eius in frustula minutissima diffringeretur, & cerebrum deinde ex naribus atque palato diffunderet (§. IX.) sane infans ab hac rudi pressura & violenta contrectatione necessario mori debuit.

§. XXIV.

Foetu autem mortuo & in vtero remanente mater quoque ab humoribus embryonis putridis, in massam sanguineam regressis omnino inflammationis labem contrahere debuit; & quoniam illa adhuc in partu constituta de grauissimis doloribus in latere dextro abdominis conuulsa fuit, eosque ab incauta obstetricis manu productos constanter asseruit (§. III.), facile colligi licet, quod ab obstetrice imperita sub rudi foetus attractione matris quoque vterus insigniter compressus & quocumque modo laesus sit, vnde noua atque ingens inflammationis causa oborta, quam postea sphacelus, ipsaque mors, fidelissimi eius comites, subito exceperunt. Vniuersum autem corpus insigniter tumidum & abdomen mirifice distensum (§. VIII.) causam habent in humoribus post mortem putridis, in motu intestino constitutis & sphacelosa inflammatione in continuam fermentationem concitatis, quemadmodum inferius (§. XXXIV. & XXXVI.) luculentius patebit.

§. XXV.

Tandem etiam circumstantias ipsius partus considerabimus: postquam extincto iam foetu puerpera crudelissimos dolores ab obstetrice suscitatos amplius perferre noluit & in lectum ordinario modo collocata fuit, ab eo tempore omnes cessarunt iam dolores partus (§. III.) contigit hoc die 23 Maii circa vesperam. Altero deinde die hora 7 vespertina moriebatur parturiens, grauida adhuc relicta. Postea corpus eius lauatum sarcophago fuit immissum; hoc tamen membrorum motu & corporis agitatione nulla facta fuit foetus exclusio, quam nonnullae mulieres agnatae & vicinae tum temporis praesentes facile obseruassent. Tandem 25 Maii hora 8 vespertina apparuit foetus enatus (§. VI), qui *per viginti quinque horas* post matris suae mortem in vtero adhuc detentus fuit. Quare necesse est, vt veras partus huius insoliti causas naturales etiam perquiramus.

CAPVT III.

OSTENDENS

VERAS PARTVS HVIVS
INSOLITI CAUSSAS.

§. XXVI.

Quemadmodum omnis effectus naturalis varias agnoscit causas efficientes, inuicem concurrentes, sic *variae quoque sunt causae naturales*, quae partum faciunt & absolunt.

vunt. In omni partu naturali causa principalis, eaque proxima est *uterus*, qui ob structuram, qua gaudet, musculosam propria ac reiterata constrictione, saepe validissima, foetum in se contentum expellere conatur. Alia causa particularis est ipse *foetus*, ab utero coarctato per vires fortiter compulsus, cuius caput orificio uteri insitens, & versus illud a partibus vicinis post tergum prementibus identidem adactum vias angustas, porissimum si vivit, aperire, sibi que exitum quaerere nititur. Causam minus - principalem dant *musculi abdominis cum diaphragmate*, quorum potentia auxiliatrice cavitas abdominis coarctatur, uterusque simul cum contento foetu comprimitur, quorum vires hac ratione fortiores redduntur. Sic etiam *Pulmones* causam constituunt particularem, qui sub doloribus partus fortiter inflati valido conatu diaphragma & omnia viscera in abdomine contenta potentissime deorsum premunt, talique renisu uteri potentiam admodum adaugent. Alium renisum praebent quoque utero eius *ligamenta lata & rotunda*, quae valida sua tensione uterum ad novos conatus per vires suscitandos sollicitant. Idem facere videntur *vasa arteriosa* in utero & partibus vicinis existentia, quae pulsu ac vibratione oscillatoria novum subinde robur utero conciliant. In partu tamen difficili nonnunquam accedunt aliae adhuc causae externae, vel singularis *obstetricis dexteritas*, vel *instrumenta idonea*.

§. XXVII.

Singulae haec causae agunt in partu communibus ac repetitis viribus, donec infans excludendus remoueatur. Contingunt tamen ordinario modo plerumque *tres gradus laborum*, seu conatum, ab uteri fundo versus orificium

um eius prementium. Primi labores sunt leniores naturae conatus, adeoque saltem *motus partum praeparantes*, quibus sensim foetus ad legitimum situm componitur: postea quiescit quasi natura per aliquam moram, donec alii conatus fortiores subsequantur, qui *motus referantes* paulatim vteri orificium atque reliquas vias distendunt: hos iterum noua excipit requies ad refocillandam puerperam destinata, & tandem accedunt conatus validissimi, *motus expellentes*, quorum beneficio foetus ex vinculis suis disruptis iam in apricum progreditur.

§. XXVIII.

Aliae autem causae & alius plane ordo iam requirebantur ad partum nostrum adeo insolitum excludendum, quia in corporibus mortuis vires naturales deficiunt, & elastica agendi potentia fibrarum musculosarum penitus cessat. Ab initio quidem omnes illae causae in §. XXVI. adductae fuerunt ad hoc negotium impensae, quarum ope motus referantes (§. praeced.) vias iam adeo patulas reddiderunt, ut obstetrix manum vtero immitteret, extractionemque foetus moliretur (§. II. & XXII), & demum infans praeternaturali modo progredere (§. VI). Attamen debitos motus expellentes absoluere non potuerunt causae illae naturales: procul dubio, quia puerpera ab obstetrice iniusto modo defatigata, imo violenter laesa, & omnibus viribus ad hunc actum necessariis orbata fuit. Non quidem negamus, ipsum foetum ab initio aliquam remoram iniecisse, forsitan ob causam (§. XX.) adductam, quod tamen obstaculum obstetricis manus facile remouere potuisset. Sic magis accusanda est obstetricis ignorantia, quae remoram hanc praeuertere nesciuit, quam tamen postea temporis mora & noui naturae conatus superuenientes

tes adeo feliciter sustulerunt, vt non solum caput, sed totus foetus, quasi sponte, prodiret.

§. XXIX.

Postquam autem foetus & post eum etiam ipsa mater extincti fuerunt, eorumque partium vires naturales cum agendi potentia cessarunt (§. XXVIII), iam vltimi motus, qui infantem naturaliter expellunt, (§. XXVII), non amplius ab iis expectari potuerunt: quare etiam puerpera loculo fuit immissa, mox sepelienda. Cum vero praeter spem & opinionem factum sit, vt viginti quinque post matris obitum horis foetus ex vtero egressus conspiceretur, sane noua adfuit potentia in corpore mortuo ex causis praeter-naturalibus generata, quae hunc effectum praestitit mirandum, & quae cum suis causis concurrentibus iam erit perpendenda.

§. XXX.

Quoniam vniuersum corpus puerperae post mortem vndiquaque in externa superficie colore plumbeo splendente, atque vesiculis ichore turgidis defoedatum fuit (§. VIII), facile exinde percipimus, foeminam hanc ex sphacelo fuisse mortuam, quia talis corporis constitutio est infallibile sphaceli signum, quod etiam odor graeuolentus, sectionem impediens, satis superque testatur.

§. XXXI.

Et quoniam simul putridus humor ex genitalibus externis valde laesis effluxit (§. VIII), puerpera quoque de grauissimis doloribus internis in abdominis latere dextro, ab obstetricis incauta manu productis (§. III) con-

C

questa

questa fuit, sic palam liquet, sphacelum prius in internis partibus corporis fuisse generatum, sensimque reliquum externum corporis habitum occupasse.

§. XXXII.

Oritur autem sphacelus ab inflammatione: omnis enim inflammatio, quae non resoluitur, aut indurefcit in tumorem scirrhum, aut conuertitur in purulentam materiam sub nomine abscessus, aut in gangraenam, & tandem in sphacelum abit. Ergo inflammatio, gangraena & sphacelus solo gradu inter se differunt.

§. XXXIII.

Inflammatio, eine Entzündung, est calor praeter-naturalis, in substantia corporis musculosa ab extrauulato sanguine excitatus. *Gangraena* der heisse Brand, est calor intensissimus, & summus inflammationis gradus in parte aliqua corporis ab extrauulato sanguine, iam putrescente inductus. *Sphacelus*, der kalte Brand, est status corruptus alicuius partis corporis, ab humoribus iam putridis & corrosiuis factis productus, quo illa pars omni sensu, motu & vita priuatur.

§. XXXIV.

Humor ille putridus, nauseosus, ex genitalibus sat copiosus profluens; itemque totum corpus, secunda iam post mortem die insigniter tumidum (§. VIII.) euidenter commonstrant, sphacelum in visceribus internis iam produxisse fermentationem humorum (§. XXIV.), qua aër in istis humoribus contentus vehementer incaluit, & hac ratione vi sua elastica partes corporis externas flaccidas validissime

lidissime distendit, illamque corporis turgescenciam produxit,

§. XXXV.

Fermentatio autem, eine Gährung, est motus intestinus humorum stagnantium, quo aër in iis contentus incalcescit, & vi sua elastica ipsos humores viscidos resoluit, valideque distendit, vt iam sensim maius spatium occupare nintantur. Sic frequentissime obseruamus, cereuisiam lagenas, & vinum dolcea diffringere, quando in fermentatione sunt constituta,

§. XXXVI.

Facilis nunc erit ratio, qua verae causae partus nostri insoliti eruantur. Puerpera, dum adhuc viueret, iam subit inflammacionem, partim à doloribus partus grauioribus, partim ab aliis, quas cum laesionibus obstetrix imperita ei induxerat (§. XXIV.) generatam: hanc inflammacionem sensim magis auctam excepit gangraena & subsequens sphacelus (§. XXX--XXXII.), quo etiam extincta fuit. Sphacelus deinde produxit fermentationem humoribus putridis, stagnantibus; qua fermentatione vis elastica aëris in humoribus contenti adeo fuit attenuata atque distensa, vt vniuersum corpus admodum eleuaret ac tumidum redderet (§. XXXIV): & quoniam haec vis aëris elastica pariter abdomen, adhuc post exclusionem foetus, adeo vehementer distensum reddidit, ac si nullus necdum contigisset partus (§. IX), facile quoque ista potentia validissima tam fortiter vterum comprimere potuit, vt contentus in eo foetus per vias successiue relaxatas & iam patentes (§. XXVIII.) tandem post matris obitum expelleretur: quia humores in fermentatione constituti ea gaudent potentia, vt etiam lagenas & dolia diffringere valeant (§. XXXV.).

§. XXXVII.

Sic valida *potentia aëris elastici* in humoribus fermentantibus sensim aucta, fuit causa principalis & proxima huius partus insoliti: *inflammatio* vero *gangraena* & *sphaecelus* sunt causae antecedentes: *obstetricis* autem *praepostera tractatio*, quae dolores, laesiones & subsequentem inflammationem induxit, erit causa magis remota: aliae denique causae minus-principales, attamen pariter efficientes, sunt *musculi abdominis* atque *diaphragma*, quae corporis abdomen undiquaque cingentes valido suo renisu vi aëris elasticae obicem posuerunt, ne illa ventrem distensum penitus dirumperet, sed foetum per viam ordinariam, iam apertam, facilius propelleret. Haec dum perpendimus, venerabimur benignissimum Creatorem, qui partum nobis feliciorum constituit.

Sedula mens optat rerum cognoscere causas,
 Quum fructus certos vera reperta ferunt.
 Has animi dotes pariter *Tua* pectora fouent,
 Et *Tibi* pro meritis praemia larga dabunt.
 Sic PATRIAE, *Patri*, docto sic gratus in orbe,
 Cunctisque optato nomine clarus eris.

Haec pauca

Respondenti Ornatissimo

cum voto felicissimorum in studiis
progressuum

addit

PRAESES.

NO-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DISSERTATIONIS DEFENSORI

S. P. D.

Ioannes Bücherus

Opp.

Mirabuntur, Amice, multi, me quoque Tecum esse disputaturum. Sed quicquid sit, nihil meam turabit sententiam. Neque enim singularis arrogantia, neque singularis in disputando profectus ostendendi pruritus, quasi ego solus essem, qui singulari se veritatibus opponendi habitu gauderet; sed amor in me Tuus, pro viribus Tibi inseruiendi cupido fuere motiua, quibus ad hocce officium suscipiendum impellebar. Quidni enim per quatuor annos & quod superest, Tecum singulari amicitia iunctus, hoc quicquid est officii Tibi praestarem? Certe, Amice inter paucos mihi exoptatissime, plura Tibi debeo, quam quae postulasti. Quamdiu enim Tecum sum conuersatus, plurima mihi obtulisti amicitiae tuae pignora. O si Tibi haecce remunerari queam! Precibus DEum adibo, vt Tibi in itinere, in Academia, in reditu, inque ceteris vitae tuae rationibus, omnia contingere iubeat laeta. Sed liceat vnicum adhuc expectere: me, Tuum Bücherum, eadem amplectaris amicitia, postquam reuersus Doctoris habitu gaudens ab omnibus Vir experientissimus salutatatus fueris.

D. XXV Aug. MDCCXLII.

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DISSERTATIONIS DEFENSORI

AMICO OPTIMO.

S. D. P.

Michael Gottlieb Treuge

Opp.

Ego vero, Amice optime, virum fidem seruem an frangam, satis diu dubitavi. Nam sane non omnes idem de me sentire, plane sum persuasus. Alii arrogantiae me inculcabunt, lecturi, quartam iam opponendi spartam in me suscepisse; alii, si vel hoc aeque perferre potuerint animo, huius tamen rei veniam vix mihi dabunt, ut, qui in sanctiora incumbō studia, dissertationem medicam impugnare fuerim ausus. Operae igitur pretium erit pauca ad has obiectiones annotasse. Alterum quod concernit, ingenue fateor, cum toties opponentis fungar officio, studium MAECENATES mihi excitandi ac amicis inseruendi momenta mea fuisse: ad alterum quod attinet, non diffiteor, arduum quid tentasse: ast, cum audirem, multā in dissertatione e scientia rerum naturalium, quam ante annum VIRI EXCELLENTISSIMI explanavere ac in qua explicanda PRAESES EXPERIENTISSIMVS hoc tempore versatur, desumpta occurrere, precibus Tuis a me locum dandum esse cognovi.

Iam saeculo nostro indulgerem & Te, tanquam dissertationis Defensorem, multis exornarem laudibus: ast o-mittam hoc, ipsa virtus laudat virtutis studiosos ac dexteritas

teritas defendendi dissertationem ostendet, tempus in Athaenico nostro Te quam optime collocasse. O quam amplam Te laudandi materiam! Ut vero pietati in Te meae satisfaciam, vōta pro Tua salute fundam. Numen T. O. M. omni tempore Te praestet saluum, ac itinerata, studia sine coronet exoptatissimo. Vitae vero Tuae rationi ita DEUS praesit, ut absoluto studiorum cursu, scientiis & honoribus auctus, incolumis ac sospes in Patriam redire queas. Ama & Vale.

Dabam e musaeo die XXV Augusti A. O. R.
MDCCXLII.

Dem

adlem Bertheidiger
dieser Blätter.

Sehrter Freund ich höre schon,
Apollo sanfte Worte klingen:
Ach komm doch längst geliebter Sohn!
Nach dem so wohlgehaltne Ringen;
Komm, und vermehre der Musen Schaar,
Die Dich schon im Verlangen küßet.
Sie bringe Dir selbst die Opfer dar,
Die Schweiß und saure Milch genisset,
Den Kranz, der bloß dem Fleiß gebiert,
Wenn man bey'm Buch im kalten schwisset:
Der

Der aber nicht die Faulheit ziert,
 Die bey dem heißen Ofen sitzt,
 Die trägen Hände laß und faul
 Gemächlich in einander leget,
 Den Körper gleich dem matten Gaul
 Von einer Seit zur andern wäget.
 Geehrter Freund das gilt Dich nicht
 Du hast dem Fleisse Dich ergeben,
 Wenn andren schon das Auge bricht,
 Bleibst Du noch an den Büchern kleben.
 Apollo kennet diesen Fleiß;
 Drum eil, verdopple deine Schritte,
 Erhalte den bestimmten Preis,
 Der Dich begleitet auf jedem Tritte
 Säum nicht, fort, eil, Apollo wartet mit Verlangen
 Dich auf dem Jensehen Helicon außs ehste zu empfangen.

I. S. Lacariere,
Etud. en droit.
 Varf. Pol. Opp.



AB # 72 (1/18)

ULB Halle

3


005 526 345



SB

Sp 15.

WMA





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

20 17

O MEDICA

NTIS
IS OBITVM
TV,

AM
SIDE

ADAMO
MO

D. MEDIC. ET PHIL. NAT. IN
DAN. ACADEMICO PRO-
MIAE IMP. NATVRAE
T. REG. SCIENTIAR.
S. SODALE.

IO MAXIMO

DIE XXX Avgvsti

B
CORVM DEFENDERE
BITVR

VILLER LEOB. BORVSS.
OELHAVIANVS ALVMNVS.

ANI,
DANNIS SCHREIBERI,
VS ET ATHENAEI
GRAPHI.

